



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

xxv [i.e. x]. Appetitu innato per modum simplicis complacentiæ appetit
omnes formas, etiam corruptas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

X. Appetitus, quo materia appetit formas, non est elicitus; quia non est actus animantis, sed innatus & metaphoricus; qui non appetit formas perfectiores præ imperfectioribus, cum per omnes æquè assequatur suum finem, qui est constituere cum forma compositum; licet enim cum perfectiore compositum constituat perfectius, non constituit tamen magis perfectè compositum; adhæc ratio illa majoris boni (ad finem obtinendum tamen non magis idonea;) non apprehenditur ab appetitu innato. Appetitu remoto & indeterminato per modum amoris & simplicis complacentiæ fertur in omnes formas etiam corruptas (non quidem collectivè, seu omnes habendi simul, sed distinctivè, id est, hanc vel illam habendi) abstractrahendo veluti ab earum præsentia & absentia; respectu enim omnium est potentia passiva (etiam illius, quam de facto habet, quamvis non sit pura potentia ad illam, id est, connotans negationem actualis unionis illius secum) & omnes hæc formæ sunt bonum illius naturaliter acquisibile, etiam semel corruptæ; hæc enim cum nullum ex prædicatis suis essentialibus perdiderint, naturaliter

ter

ter quantum est ex ipsis, reproduci possunt: quod autem de facto reproduci nequeant, est ex decreto Dei, stauentis ad maiorem uniuersi uarietatem formam semel corruptam non reproducere, quæ extrinseca rei impossibilitas, representata etsi obstat quod minus feratur in rem illam appetitus elicitus efficax, non obstat tamen, quod minus feratur in illud bonum ex se adhuc obtinibile appetitus naturalis, inefficax & indeterminatus: Estque illa solum potentia frustranea, quæ ex defectu principiorum sibi intrinsecorum redigi non potest in actum. Illam formam solum appetit appetitu gaudii & fruitionis, quam possidet; illa enim sola bonum est præsens. Illam solum appetit appetitu desiderii determinati & efficacis, ad quam est proximè deposita. Habens unam formam reliquas adhuc appetit indeterminatè, non quidem desiderando illas pro tunc, siue conjungendas sibi in sensu composito formæ, quam habet, sed habendas pro alio tempore & in sensu diuiso, nimirum perditâ illâ, quam iam habet; appetitus enim hic remotus materiæ est insatiabilis, licet proximus satietur per unam formam; neque hoc modo desiderandas

randas

rando alias, desiderat illius, quam nunc
 habet destructionem. Et hæc quidem om-
 nia conferendo appetitum innatum (cu-
 de cætero nec absentia, nec præsentia re-
 præsetatur, utpote qui inanimatus est) meta-
 phoricè cum elicitò; à quo differt etiam
 hoc, quòd hujus tendendi modus, adeo-
 què ipsa entitas mutetur, repræsentat à præ-
 sentiâ vel absentia boni; ille verò semper
 manet idem secundùm rectum, & mu-
 tatur tantùm secundùm obliquum, pro ut
 nobis dicitur nunc ferri in bonum præsens
 nunc in absens.

DISSERTATIO QUARTA

De Forma.

I. **F**orma est substantia simplex (intelligè-
 simplicitate physicâ, utpote nullis
 constans partibus essentialibus physicis; non
 metaphysicâ, utpote constans genere & dif-
 ferentiâ) & incompleta, quæ per modum actus
 constituit cum materia unum per se: Non est
 tota quidditas compositi; hoc enim est ens
 completum habens partes, quæ non conve-
 niunt formæ: & essentialiter rerum consistunt
 quidem in indivisibili, sed non per modum
 puncti